



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. De aliis pœnis corporalibus, & temporalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

tionem singant: si tamen certo eis persuadeatur quod etiam conuertantur, debent interici, & adhuc conuerti serio uolunt, possent facilius credi, & probata hac uoluntate per aliquos dies quibus se ad pie moriendum preparent, posset mors in perpetuum, ut diximus, carcerem commutari. Quarto non esse in horum numero computandos parentes, qui filios suos hæresim docent, amicum etiam, vel socium, qui sociis, vel amicis eadem occurrente occasione, suggerit, & his similes, qui non sunt proprie dogmatistæ, cum id muneris non quasi ex officio sed priuatum faciant. Quinto eum, qui præceptis, præmiis, minis, vel aliis exquisitis modis hæresim aliis persuadere conatur, vel qui Principes, Reges, vel alios eiusmodi peruertere tentauit, non esse nisi in rarissimo casu ad reconciliationem admittendum propter grauitatem criminis adeo qualificati, & in tantam Ecclesie perniciem vergentes, & propter aliorum exemplum. Hæc & alia apud prædictos doctores facile inuenies.

69 Ad hos reduci possunt hæretici mortui, quorum memoria aliquando damnatur, & traduntur iudici seculari, à quo eorum ossa, si ab aliis discerni possunt, & statim comburuntur. Nam licet alia dilicta morte delinquentis extinguantur, id tamen fallit in crimine hæresis ex l. *Maieftatis*, §. 2. uel. in mortem. Cod. de hæreticis: & ex dicto cap. *Accusatus* §. in eod. de hæreticis in c. 6. & cap. finali 24. q. 3. c. si quis *Episcopus*, extra de hæreticis, & alibi: sicut etiam Reus læsæ Maieftatis humanæ post mortem damnari potest ex l. ultima Cod. ad leg. Iuliam Maieftatis.

Ad hoc quid requiritur. Requiritur autem ad hoc primum, ut constet, in hæresi decessisse, si enim solum probetur suspensus, non potest ut hæreticus damnari, & alia crimina præter hæresim morte extinguuntur. Unde nec damnanda est eius memoria, si ante mortem signa contritionis exhibuit, & ob temporis angustias non potuit iudicialiter absolui, ut constat ex c. a nobis secundo de sententia, excomm. & colligitur ex cap. filij de hæreticis in 6. & probatur cum aliis Castro Palao dicto tract. 4. dist. 8. puncto 16. §. 6. num. 15.

70 Secundo requiritur, quod hæresis clarissime probetur, vel per propriam confessionem sine penitentia, vel si in carcere custoditus ob hæresim se se sponte interfecit. quod æquiualeat propriæ confessioni, & probatur, & quod uoluit hæreticus mori, ut fatentur communiter doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao ubi supra num. 3. Diana parte 4. tract. 7. de penis delictorum, & c. resolut. 28.

Tertio requiritur, quod citentur filij, & hæredes defunctorum, quorum interest siue ad honorem, siue ad bona, ne defunctus damnetur, qui possunt per se, vel per procuratorem etiam comparere, ut illum defendant: & illis danda est copia indiciorum, & accusationum: non tamen hi possunt illum defendere, qui in extremis consolationem ab hæreticis postulauit, nisi uelint probare, non fuisse sui compotem quando id fecit, ut constat ex c. filij de hæreticis in 6. Imò & quilibet è populo, qui uelit defunctum defendere, admittendus est, ut tradunt Doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao, & Diana locis citatis. Quanto uero tempore post mortem extinguatur ius procedendi contra defunctum, & quando eius bona sequestranda sint, atque etiam con-

Card. de Lugo de uirtute Fidei diuina.

hiscenda, licet ad tertium possessorem transierint, sicut etiam, vide apud eod. Doctores.

SECTIO III.

De aliis penis corporalibus, & temporalibus.

Hæretici penitentes, qui non traduntur Curia seculari, solent aliis minoribus penis ab Inquisitoribus puniri. Prima est carceris, qui aliquando perpetuus est, & habetur in cap. excommunicamus 2. de hæreticis, ubi dicitur: si quis autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire uoluerint ad agendam penitentiam, in perpetuo carcere damnetur. Quia uero hæreticus confessus suum errorem, antequam testium dicta ei publicentur, nondum uidetur perfecte deprehensus, non solet ad carcerem perpetuum condemnari, ut cum aliis, quos affert, notat Castro Palao dicto tract. 4. dist. 6. puncto 1. num. 1. & Diana parte 4. tract. de penis delicti. c. resolut. 24. in principio, apud quem Roias dicit, eum, qui in limine iudicii ante accusationem confitetur, ad carcerem temporalem eam habitu penitentiali pro breui tempore esse condemnandum: si uero post accusationem, agendam esse penitentiam, si denique post publicationem testium hæresis confitetur, ad perpetuum carcerem esse damnandum; quia præsumitur quod metu probationum confitetur, & talis conuersio non caret suspitione, & in omnibus casibus prædictis bona publicantur: ita ille.

72 Aduerte primum hunc perpetuum carcerem posse ab Inquisitoribus ex causa mitigari, vel in aliam penam commutari, ex cap. ut commissi, versic. & illorum, de hæreticis in 6. Hæc tamen facultas abbreviandi carceris tempus post sententiam in Hispania reseruata est Inquisitori generali ex priuilegio Sedis Apostolicæ, ut testatur Castro Palao ubi supra, num. 4. & alij, quos affert Diana ubi supra column. 2. Commutatur autem sæpe pena carceris in penam ad triennes ad tempus: nobiles autem aut similes personæ detrudi solent ad tempus in aliquo Monasterio, ut testatur cum aliis idem Diana ibi.

Aduerte secundò hunc carcerem non debere esse talem, ex quo vita delinquentis abbrevietur, ut cum aliis notauit Castro Palao ubi supra num. 3. quod de abbreviatione notabili debet intelligi. Solet tamen post triennium dispensari cum condemnato ad carcerem perpetuum, vel in aliam penitentiam commutari. Si uero damnatus sit ad carcerem perpetuum irremissibilem, non nisi elapsis octo annis dispensari, ut ex aliis, quos affert, refert Castro Palao num. 4. cum aliquibus tamen cautè agendum, qui non sine periculo è carcere dimitti possunt, & tutior erit eorum salus, si in ipso carcere, & penitentia moriantur.

73 Aduerte tertio in aliquibus casibus non posse inquisitores non tradere Curia seculari eos, qui penitentiam petunt, quos determinauit Clemens VIII. in Bulla edita 3. Februarii anno 1603. Hi sunt missam celebrantes, vel confessiones audientes sine sacerdotio: negantes Trinitatem diuinam personarum; negantes diuinitatem Christi Domini, vel Christum conceptum esse de Spiritu

M M m 2 sancto

facto, vel Christum mortuum, ut nos redimeret, vel B. Mariæ virginitatem, item Magistratus, seu Domini Ecclesiastici, vel temporales Schismatici, aut heretici, seu hæresim aut schisma excitantes. De cuius tamen Bullæ explicatione videndus est Scottia in Bull. Pontif. epist. 10. Theor. 3. 6. & alij quos affert Diana vbi supra, apud quem Soula testatur non esse in inquisitione Lusitana receptos omnes casus.

Aduerte quartò inter hereticos pœnitentes computari eum etiam qui semper negauit, donec in tortura positus confessus est, quam confessionem post 24. horas approbauit. Nam licet olim iussus esset hic tradi Curia seculari & instructione Inquisitionis Hispaniæ facta anno 1484. id tamen merito reuocatum fuit in alia instructione anno 1561. quas duas refert ad litteram Diana dicta resolut. 24. & Doctores, qui de praxi testantur.

74 Solent etiam hereticis pœnitentibus imponi pœna tritemium, exilij, & fustigationis, quam tamen fustigationis pœnam non esse solitam imponi, nisi iis, qui tardissimi, durique fuerunt ad conversionem, dicit Castro Palao dicta disp. 6. puncto 2. num. 1. Ad hæc reduci potest pœna portandi facci benedicti, quem cruce ex vtraque parte signatum imponere solent Inquisitores Hispani eiusmodi pœnitentibus, & generet infamiam grauissimam, qui saccus supra omnes alias vestes in pœnitentia signum portari debet ad tempus vel in perpetuum, pro criminis grauitate: in cuius temporis abbreviatione post sententiam, solus inquisitor Generalis dispensare potest, ut supra de dispensatione carceris diximus.

75 Hac occasione dubitari solet de iis, qui prædictum saccum sibi impositum & præceptum non portauerint, sed occultauerint, vel abiecerint, & in vniuersum, qui pœnitentias ab Inquisitoribus impositas non implent, an censeantur impœnitentes, & relapsi, & ut tales puniri debeant. Certum est, eos puniri posse, & suspitione in hæresis incurrere, & pœnitentiæ non veræ, sed fictæ. Aliqui addunt, eos haberi ut relapsos, & tradendos Curia seculari: ita Calderinus, Locatus, Zanchinus, Campegius, & alij apud Castro Palao dicto tract. 4. disp. 6. puncto 3. num. 3. quibus alios addit Diana dicto tract. 7. de penis delictor. & c. resolut. 14.

Communis tamen, & vera sententia negat, eos esse verè relapsos, vel tradendos Curia seculari: quam tenent Simancas vocans contrariam sententiam crudelem, & falsam, Roias, Riminaldus, Farinacius, & Zechius, quos refert, & sequitur Castro Palao vbi supra num. 4. Iulius Clarius, Cantera, Soula, & alij, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 14. qui & Castro Palao id extendunt ad Reum, qui iuramento se obligauerat ad pœnitentiam implendam. Ratio est, quia licet is suspectus fiat de pœnitentia ficta, communiter tamen præsumi potest id ob aliâ causâ factum, nempe ex tadio pœnitentiæ, ex libertatis affectu, vel ob quicquid simile. Vnde non videtur satis consequenter in hoc loqui Castro Palao, qui vbi supra num. 2. dicit incurrere per hoc non leuem suspitionem de perseverantia in hæresi, per quod significare videtur suspitionem grauem: cum tamen idem Auctor puncto 2. præcedenti dixisset num. 9. hæreticum, qui post abiurationem sit denuo grauitè suspectus de hæresi, puniendum ut re-

lapsus. Ex hac enim doctrina sequitur eum, qui non implet pœnitentiam, esse ut relapsum puniendum, quod tamen ipse negat. Quare ego non concederem, ex qualibet violatione pœnitentiæ iniunctæ, incurrere vehementem suspitionem de hæresi. Quid enim, si (prout de facto contigit) aliquis, qui domi manere iussus fuerat, semel domo sine licentia egrediarur: non quid ideo est vehementer de hæresi suspectus? Hunc certè à relapsu defendit Riminaldus, lib. 2. Consil. 150. Et hoc videtur esse de mente aliorum Auctorum, qui tunc solum agnoscunt suspitionem vehementem, quando pœnitentia iniuncta directè tendebat contra hæresim detectam, v. g. si impositum fuerat in pœnitentiam, ut contra illam hæresim prædicaret, cum hereticis non conuersaretur, &c. Quia non facere prædictas pœnitentias (inquit Diana dicta resolut. 14.) est signum vehementis à iure statum approbationis erroris. Quale signum non est qualibet pœnitentiæ impositæ violatio. Et idem tandem videtur fateri Castro Palao dicto puncto 3. num. 4. dicens in eo solum casu dari signum vehemens approbationis erroris, quando omittit pœnitentias directè contrarias errori detecto, ut si omitteret se purgare, errorem abiurare, hereticis non fauere, secus verò de aliis pœnitentiis.

De his tamen pœnitentiis contrariis directè errori abiurato dubitant aliqui, an eorum violatio faciat relapsus: & id negant Simancas tit. 47. num. 77. sed dicit condemnandum denuo arbitrio inquisitorum ad maiorem pœnitentiam. Alij tamen dicunt, tunc esse puniendum ut relapsus, quod fateretur Castro Palao vbi supra, Riminaldus, Locatus, Menochius, & Trevisanus, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 14. Et ego etiam id verum puto, imò idem dicerem de violatione cuiuslibet pœnitentiæ, quæ æqualem suspitionem hæresis generaret: quia diximus sectione præcedenti, eum, qui post hæresim, & abiurationem fauere hereticis, esse relapsus, & idem diximus de eo, qui ex alio capite æquè vehementem suspitionem hæresis incurrisset, propter rationes ibi adductas: si ergo ex violatione alterius pœnitentiæ æquè vehementem suspitionem hæresis incurrat, ac ex violatione pœnitentiæ contrariæ directè hæresi abiurata, non minus iudicabitur ex illa violatione relapsus, quàm ex hac alia.

Denique, si pœnitentias acceptare recusat, vel etiam abiurare, quando abiuratio imponitur, si antea conuictus, vel confessus fuerat, habetur pro impœnitenti obdurato, & nolente respicere, & traditur Curia seculari. Si autem antea non fuerat conuictus, nec confessus, tunc excommunicandus est, in qua excommunicatione si per annum obduratus permanierit, ut hæreticus condemnabitur, ut tradunt Locatus, Eimericus, Riminaldus, Penna, Martinus del Rio, & Soula, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 14. in fine.

Aliæ sunt pœnæ arbitrio inquisitorum vitæ, inter quas aliqui non fustigantur, sed super alinum publicè deferuntur cum mitra Chaptacea ad ludibrium, alij cum candela accensa, vel non accensa in manu sententiam audire coguntur: alij alias pœnitentias accipiunt pro criminis qualitate, de quibus consuli possunt, qui de praxi alius tribunalis ex professo agunt.